DISPVTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA.

De

PRAEVENTIONE IVRISDICTIONIS.

QVAM

Præſide IEHOVA

&

Autoritate ac Decreto

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, ET AMPLISSIMI IVRISCONSVLTORVM ORDINIS, IN CELEBERRIMA ARGENTORATENSIVM VNIVERSITATE.

Pro ſummis in utroque Iure honoribus ac Privilegiis DOCTORALIBVS legitimè conſequendis,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

Solenni Examini ſubiicit

Ad diem 18. Januarij.

WILHELMVS HENRICVS GOLLIVS,
Spirenſis.

ARGENTORATI,
TYPIS FRIDERICI SPOOR.
M. DC. LV.

AVGVSTISSIMI
CAMERAE IMPERIALIS IVDICII
Adſeſſoribus graviſſimis

VIRIS

GENEROSIS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS

DN. HENRICO ACHILLI BVvvinckhauſen, de Walmeroda, in Merckelbeck, Wohra & Yſingen.
DN. GEORGIO FRIDERICO Mohren/
DN. WOLFFGANGO Von Gemmingen / zu Oppenheim / Herrn zu Hornburg und Michelfeld.

ICtis Præeminentiſſimis.

Patronis, Promotoribus, ac Fautoribus ſuis.

Omni obſervantiæ & obſequii cultu æternum colendis :·

Hance ſuam Diſputationem Inauguralem

Offert ac dedicat

Wilhelmus Henricus Gollius.

I. N. D. N. I. C.

EXantlato Examine, quod Juris Vtriusque Candidatis ſubeundum, cum à Nobiliſsimo & Ampliſsimo JCtorum, in hac Illuſtri Academia, ordine, diſputandi licentiam impetraſſem, dubius fui, quænam materia loco diſputationis Inauguralis mihi eſſet proponenda, ſemper enim à Præpoſitis meis monebar, ut eiusmodi materiam tractandam ſumerem, quæ in ſchola celebris, in foro utilis neceſſaria ac frequens eſſet: frequentiora namque (monente Paulo in l.25. pr. ff. de liberat. eg. & Ulpiano in l.1. pr. ff. de ſuſpect. tut. & urat.) *potius & plenius ſunt attingenda, uam rarò contingentia. Præſentem itaque ateriam de Præventione Jurisdictionis, on ſine conſilio & juſſu ſuperiorum, quam reviſsime fieri poterit, elaborandam duxi, uia huius materiæ neceſsitas, utilitas, & fre-*

quentia, ſatis ubique ſe oſtendit, teſtante Socino in c. propoſuiſti, de foro competenti n.7. *Reſtat benevole Lector, ut hunc noſtrum conatum æqui bonique cônſulere, & ſicubi in tractatione, vel ob ingenij tenuitatem, vel materiæ gravitatem erraverim, prompta tua humanitate & conſueta dexteritate laboranti ſubvenire velis. Sed ut inſtitutum hoc feliciter cedat, DEUM unum in eſſentia, trinum in perſonis, à quo cuncta dependent, ſupplicibus veneror ſuſpiriis, ut in labore hoc ſuſcepto, ſit mihi principium medium & terminus.*

THESIS I.

Etymologia. PRæventio à præveniendo dicitur, & ratione Etymologiæ deducitur à præ & venio, quaſi antevenio, anticipo, quod ſcilicet per præventionem alterius jus anticipetur. Hinc Vlpianus *in l.14. ff. de noxal. action.* recte ait, quod occupantis conditio ſemper melior ſit, qui enim in præveniendo cautus fuit, non iniquè alios excludit, quia ſibi vigilavit, *l. 24. ff. quæ in fraud. cred.* *Homonymia.* Homonymiam quod concernit, in toto Jure Civili aliam hujus vocis ſignificationem reperire non licuit, niſi quod interdum referatur ad res, interdũ ad perſonas, ad res, ut cum duobus eadem res legata eſt, & alter præveniendo, aut rem aut rei pretium elegerit. *l.33. de Leg.*1. ad perſonas, ut cum unus alterum in judicio

tio præveniendo excludit *l.* 32. *ff. de Procurat.* Synony- *Synony-mia.*
micè dicitur præventio aliquando & occupatio, ſeu
præoccupatio, ſicut Pomponius occupari eleganter pro
præveniri uſurpavit *in l.* 9. *ff. de Verbor. oblig. & d. l.* 32. *ff.*
de procurat. vid. Briſſon. *in voce, occupare.*

II.

Definiri poteſt præventio, quod ſit Jurisdictionis, *Definitio.*
quæ duobus vel pluribus competebat, appropriatio, &
in perſonam ſuam formatio, ſeu conſolidatio in cauſa
præventa. Socinus *in c. propoſuiſti, de foro comp. artic.* 1.

III.

Eſt igitur in arbitrio Actoris, unum eligere judicem, & hac electione reliquorum judicum Jurisdictionem prævenire. ex. gr. Sempronius civis Argentinenſis, emit à Titio Francofurti fundum in territorio Comitum de Hanau ſitum, mille Imperialibus: quo caſu ſi Sempronius Titium ſoluere nolit, tres Judices competentes habet Titius, nimirum Argentinenſem, ut Rei judicem domicilii; Comites de Hanau, ut judicem rei ſitæ; Francofurtenſem, ut judicem loci contractus. Si igitur Actor coram uno judice actionem inſtituerit, jam reliqui præventi ſunt, quamvis ante litem cœptam omnes cognoſcere potuerint: Ratio huius eſt, quia ubi plures ſunt judices, præventioni locus eſt, *l.* 7. *ff. de jud.* & quia in quacunque materia præoccupantis melior eſt conditio, *l.* 32. *&* 66. *ff. de procurat.* quia etiam generalis eſt Regula, quod ubi judicium ſemel cœptum eſt, ibi etiam finiri debeat: *l.* 30. *ff. de jud. adde Obrecht. de jurisd. lib.* 3. *c.* 14. *n.* 6. *qui ſimile ferè exemplum habet. l. ult. C. de Iurisd. omn. jud. l.* 3. *C. de confirm. tut.*

IV.

Species præventionis ſicut plures ſunt, ita & diuer- *Diſtinctio.*

 ſa tem-

ſa tempora, quando ſcilicet in hac vel illa ſpecie præventio fiat, legibus præſtituta ſunt. Prima eſt cum quæritur de præoccupatione reſpectu ordinis procedendi in judicio, quis ſcilicet primo procedat in cauſa: vel quis ex pluribus Procuratoribus ſimul in ſolidum datis, cauſam agitet, & officium exerceat *l. 29. ff. de jud. d. l. 32. ff. de Procurat. c. cum dilectus de ord. cognit.* Secunda eſt, ſi in Actionibus realibus plures concurrant prætendentes cauſam dominii contra poſſeſſorem, cum impoſſibile ſit omnes concurrere, & omnes ſimul eſſe Dominos, tunc præventio locum habet, adeo ut qui primo ſententiam obtinuit, præveniendo & præoccupando effecit, ut præſumeretur dominus, *l. 57. ff. de Rei vind. l. 57. ff. de pet. hered.* Tertia eſt, cum in Actionibus perſonalibus, ubi plures concurrunt in eadem cauſa debiti ſicut ſunt duo Rei ſtipulandi, quibus utrisque ex eadem cauſa debetur, alter præveniſſe & præoccupaſſe dicitur, ut ei uni ſoluatur, *l. 16. ff. de duobus reis conſtit. l. 11. §. 21. de Leg. 3.* Sic & ubi duo legatarii in eadem cauſa concurrunt, quia alteri debetur res, alteri æſtimatio, præventio in eligendo locum habet *l. 33. ff. de Leg. 1.* Quarta præventionis ſpecies eſt, quando agitur de præoccupatione Jurisdictionis exercendæ, quæ eſt materia noſtra & tractatur *in l. 30. & l 7. ff. de jud. c. propoſuiſti de foro comp.* plures tamen adhuc eſſe ſpecies præventionis, non negamus, ſed has recenſuiſſe ſufficiat. vid. Socin. *d. c. propoſuiſti, n. 25. &* Zaſ. *vol. 2. ad l. 33. de Leg. 1.*

V.

Diviſio. Sequitur præventionis *diviſio*: non incommode autem dividi poterit præventio, ſicut & Jurisdictio, quod fiat vel in cauſa criminali vel civili *l. 1. C. ubi de crim.*

crim. agi opor. l. ult. C. de Iuriſd. c. ſi quis juſto, de Elect. in 6. c. propoſuiſti de foro compet. De præventione in cauſis criminalibus nihil acturi ſumus, ſed remittimus Lectorem ad ea, quæ de hac materia ſcripſit Obrechtus *de Juriſd. lib. 2. c. 10. n. 87. & quos ille citavit.* De Civili præventione nunc pauca quædam, pro ratione instituti ordine ſubiungamus.

VI.

His ita abſolutis, ad tractationem cauſarum & primo quidem *Efficientis* accedo. Eſt autem illa vel remota vel proxima. *Remotam* quod concernit, neceſſe eſt, ut udex, qui præventionem ſibi competere putat, Jurisditione ſit præditus, & à Principe, penes quem omnis Juisdictio conſiſtere, & in inferiores Magiſtratus perpeuo dimanare dicitur *l. unic. ff. ad L. Iul. de ambit.* ſive per onceſſionem, ſeu communicationem, ſive conſuetuinem, aut præſcriptionem, jam acquiſitam habeat; ita nim Civilis Jurisdictio moribus noſtris introducitur, it Obrechtus *lib. 3. de jurisd. c. 1. n. 3. v. l. 1. pr. verſ. quæ ero ff. de officio eius cui mand. l. 8. C. de diverſis officiis b.* 12. *Cauſa Efficiens remota.*

VII.

Cauſam Efficientem *proximam* conſtituimus fori ompetentiam: niſi enim judicis forum ſit competens, uſtra de præventione laborat, quia impunè ei non paur, *l. 1. & 2. C. ſi à non comp. jud. c. ea quæ fiunt à Iud. de g. Iur. in ſexto. l. ult. de Iuriſd.* Competens autem fit ecipuè quatuor ex cauſis, vel ratione domicilii *l. 19. lt. ff. de jud. l. unic. C. ubi de hered. l. 2. §. 3. & 6. ff. de jud.* ratione contractus *l. 2. §. 4. l. 19 §. 1. & 2. l. 36. §. ult. l. 45. ud.* vel ratione delicti *l. 28. §. 15. ff. de pœnis l. 1. C. ubi de n. agi oport.* vel ratione rei ſitæ *l. ult. C. ubi in rem l. 38. ff.* *Cauſa Efficiens proxima.*

de jud. Weſenb. *tit. de jud. n.*16. & Dn. D. Biccius *Patronus & Præceptor meus venerandus, in rebus quot. ſect.*5. *th.* 56. *& ſeq.*

IIX.

Cauſa impulſiva. Cauſa *impulſiva* eſt inſtantia Actoris, Citationem contra Reum petentis, debet enim eo caſu, quo Judex ad privatam utilitatem procedit citatio fieri ad partis petitionem, *arg. l.* 1. *§.* 8. *ff. de damno infect. Vant. de Nullitate proceſſ. tit.* 12. *n.* 31. Et ubi plures ſunt judices competentes, in arbitrio Actoris eſt coram quo aduerſarium convenire velit, ut ita reliquorum Jurisdictio excludatur, *c. cum ſit, & c. dilecti, de foro competenti.*

IX.

Quoniam autem ſcire non ſufficit, quid ſit præventio, & quæ ſit ipſius cauſa Efficiens, niſi etiam ſciamus, quis Judicum alterius jurisdictionem prævenire poſſit, contra quos præventio locum habeat, quando non obſtante præventione Actor vel Reus forum mutare queat, ut & in quibus cauſis præventio procedat, vel non, ideo de his ſingulis diſpiciamus. *Materia.*

X.

Ratione igitur Judicum videndum, quinam Judices alium competentem poſſint prævenire, ita ut in cauſa præventa ſe ulterius intromittere non poſſit; Et dicendum quod talis præventio poſſit fieri per omnes Judices jurisdictionem principaliter in ſolidum & Actu habentem, *l.* 7. *ff. de jud. c. propoſuiſti, de foro comp.* Principaliter quidem, quia ſi alter ab altero recognoſceret, non intelligeretur præveniſſe invito ſuperiore. Marant. *Diſput.* 6. *n.* 21. *& c. ut noſtrum* 56. *de appellat.* In ſolidum

idum,quia ſi plures haberent Juriſdictionem accumu-
ativè per viam communis cognitionis,ſecus eſſet, nam
& tunc unus ſolus non poſſet præoccupare, *c. pruden-
iam, de officio delegat.* Gail.1. *obſ.29.n.5.* Obrecht.*lib.3. de
urisd.c.1.n.5.* In actu etiam, quia ſecus eſſet, ſi in defe-
tum aliorum vel aliis negligentibus vel impeditis quis
oſſit Juriſdictionem exercere, nam tunc expectanda
ſſet negligentia vel impedimentum. *d.c. prudentiam,
& c. cumplures, verſ. porro de officio deleg. in ſexto. l. unic.
de offic. Conſ.* Socin. *in d.c. propoſuiſti, artic. 2. n. 8. de foro
mp.*

XI.

Prædicta procedunt tam in judicibus Eccleſiaſti-
s quam ſecularibus, *l.7. ff. de jud d.c. propoſuiſti, de foro
mp.* dummodo ſemper agatur de præventione circa
, quod fit in cognitionali Juriſdictione ipſius Judicis
lentis prævenire, *per l.1. & 2. C. ſi à non comp. Jud. & in
g. Ea quæ fiunt à Judice, de R. I. in 6.* Nam per Judicem
ompetentem non poteſt præoccupari Juriſdictio
n. C. ut lit. pend. Item tam in judicibus ordinariis,
am in delegatis invicem, ſi ſcilicet duo vel plures da-
fuerint, *c. cumplures, de offic. & poteſt. jud. deleg. in 6.*
quoque delegatus poteſt prævenire ordinarium, *c.
noſtrum, de Appellat.* Marant. *Diſp.6.n.21.*

XII.

Cæterum certum eſt, quod æqualis poſſit prævenire
ſdictionem æqualiter, aut inferioris Judicis, nec al-
teri ut Doctores loquuntur, inhibitoriam mittere
t. quia par in parem non habet imperium, *l.13. §.4.
SC. Trebellian. l.3. in fin. & l.4. ff. de recept. qui arbitr.*
m an etiam inferior poſſit prævenire Juriſdictio-

nem

nem ſuperioris Iudicis in his, in quibus utrique competit Iurisdictio, quæſtionis eſt? Affirmativam ſtatuimus; hac tamen limitatione, ſi inferior à ſuperiore illam non recognoſcat: Unde Archidiaconus poteſt prævenire Iurisdictionem ſui Epiſcopi, in his quæ ſpectant ad ipſum & ad Epiſcopum pariter. *c.7. & ult. de offic. Archidiaconi.* Socin. *in d.c. propoſuiſti de foro comp. n.8.*

XIII.

Ratione partium quæritur, quando forum mutare poſſint vel non? ubi diſtinguendum inter Reum & Actorem: Reus Regulariter forum mutare nequit, *l.7. ff. de Iudiciis*: niſi ante litem conteſtatam obiiciat exceptionem declinatoriam fori, *l.19. C. de probat. l. ult. C. de Except. ſeu præſcript. l.12. l.16. C. de Iud. l. ult. C. de ſent. & interlocut. omn. jud.* Weſenb. *de Except. n.7.* nimirum incompetentiam, *l.5. C de Iurisd. omn. jud. l.2. ff. ſi quis in jus voc. non ier.* continentiam cauſæ, *l.10. C. de Iud.* vel ſi judicem ut ſuſpectum recuſet, quia Iudex inimicus ſit, aut amicus cognatus vel Affinis adverſarii, aut ſi in eodem negotio fuerit Advocatus, vel ipſe habeat cum alio litem ſimilem, ne inter alios jus dicat idem, quod ſibi dici poſtulat. *c. 18. X. de Iud. c. 61. de Appellat. v.* Zaſ. *vol.1. ad l.19. ff. de Iurisd. n.17.*

XIV.

Forum porro Reus mutare nequit, & ſi lite jam cœpta ſpeciale aliquod privilegium conſecutus fuerit: Nam non obſtante privilegio fori, in judicio ubi lis ſemel inchoata eſt, Actori usque ad finem litis reſpondere tenetur, per textum expreſſum *in l.7. ff. de jud. l. ult. C. de Edend. l. penul. ff. de iurisd. l. ult. C. de Veteran. lib. 12.* Ratio huius eſt, quia generalis juris Regula eſt, privilegia,

legia, quæ pendente Judicio cauſæ accedunt cauſam non mutare *d.l.7.ff.de Iud. l.penult. §. 7.ff. de jur. immunit.l.16.ff.de vacat.* ne alias in arbitrio Rei ſit aſſumendo Clericalem, militarem, vel huiusmodi alium privilegiatum ſtatum, contra omnem juris & æquitatis rationem, forum Judicis declinare, & ſic Judicem & Actorem Jure quæſito privare. Obrecht.*de Juriſd. lib.* 3. *c.*14. *n.*34.*&* 35.

XV.

A prædicta Regula, quod Reus poſt factam citationem forum regulariter mutare non poſſit, ſunt quędam Exceptiones. Prima eſt, quod Præventio non procedat, ſi Princeps proprio motu Reo privilegium exemptionis fori conceſſit, quia tum non obſtante lite cœpta, eo in judicio permanere non cogitur, textus eſt expreſſus *in d.l.ult. C. de Veteran. lib.* 12. Secunda oritur *ex l.19.ff.de Iuriſd.* ſi mulier forum mutet, contrahendo matrimonium, quia non diceretur præventa citatione, niſi cum eſſet vel lis conteſtata, vel ad ſententiam usque proceſſum *d. l.* 19.*ff. de Iuriſd.* Ratio differentiæ eſt, ne mulier conſtituendo Procuratorem ad litem in alieno territorio damnificaretur, vel perſonaliter comparens, ſubtraheretur à miniſterio viri *arg. l. ult. §.* 3.*ff. ad Municipal.* unde difficilius & non niſi ex neceſſitate litis prævenitur. Huc facit quod Liberta, ſi contrahat matrimonium conſentiente Patrono ab operis excuſatur *l.*11. *C.de oper.libert.& l.*2 *C.de obſeq.patron.*

XVI.

Actor quoque forum mutare nequit, ut & ipſius heredes in quos transivit inſtantia, ſed ſi id fecerint cauſa cadunt, licet juſtam habuerint Actionem *l. ult.*

§. *ult. C. de in jus voc.* Citatio enim tam ad incommodum Actoris, ad cuius petitionem facta eſt, quam Rei emanaſſe videtur. *Auth. qui ſemel C. quomodo & quand. jud ſent. prof.* Limitatur tamen & hoc varie à DD. maxime Bart. *in l. Sepulchri violati actio ff. de ſepulch. violat.* quod Actor non impediatur incipere judicium alibi, ſi citatus fuiſſet contumax, quia hoc caſu Reus non poterit allegare, alibi eſſe cœptum Iudicium, imò Actor poteſt petere ut illa citatio circumducatur & annulletur; *l. 73. ff. de Iud* Gail. 1. *obſ. 29. n. 6.* Sic ſi non voluntarie, ſed ex neceſſitate aliqua coram uno judice Actor judicium cœperit, coram alio poterit perfici *arg. l. 28. §. 6. ff. de jud.* Socin. *in d. c. propoſuiſti de foro comp. paulo ante finem.*

XVII.

Ratione cauſarum quæritur, in quibus cauſis præventio locum habeat vel non? Et arbitror quod data poteſtate cognoſcendi in Iudicio, Regulariter in omnibus cauſis poſſit fieri præventio, *l. 7. & 56. ff. de jud.* Sunt tamen nonnullæ cauſæ, in quibus præventio locum non habet. Maximè in iis ubi Iurisdictionis vertitur præiudicium Soc. *d. c. propoſuiſti de foro comp. n. 29.* Item ſi Actor in judicio executivè procedit, quia tunc non obſtante litispendentia ſeu præventione, cum eo etiam alio in foro competente litigare poteſt, v. Obrecht *lib. 3. c. 14. n. 41. de Iurisd. qui ex Trentacinq. lib. 2. pract. reſol. tit. de Iud. reſol. 10. tradit.* etiam eo caſu quo Actor à Iudice in bona rei immiſſus eſt, eique quo ad debitum ſatisfactum plene non eſt, Actorem ab alio Iudice petere poſſe, ut Reum in carcerem conijcere, inq; eo hunc tam diu detinere velit, donec à Reo ſibi ſatisfactum fuerit: Ratio huius Exceptionis eſt, quia in cauſis liqui-

dis

dis & manifeſtis, à Judice juſtitia, quantum fieri poteſt, celeriter adminiſtrari debet, & propterea merito non obſtante præventione ac litis pendentia, quæ hoc caſu juſtitiæ adminiſtrationem ad tempus impediret, Actori permittitur, Reum coram alio Judice in jus vocare.

XIIX.

Sic etiam præventio non obtinet, in cauſis ubi debitor in Inſtrumento contractus creditori permiſerit, ut eum pro lubitu tùm ab uno judicio ad aliud trahere, vel omiſſo proceſſu judiciario arreſtare, pignora propria autoritate capere, vel mandata Executorialia à judice competente impetrare poſſet, cum celebratum contractum non adimpleret, quia utroque modo, quoties Actori conſultum fuerit, Reum ab uno judicio ad aliud trahere, & contra eum omnibus iſtis remediis, in diverſis judiciis ſucceſſivè experiri poteſt, quia iſta remedia non alternativè, ſed coniunctim in arbitrium Rei ſunt collata: Coler. *de proceſſ. Execut. part.* 1. c.8. *n.*40.

XIX.

Forma præventionis eſt, ut fiat per citationem ad partis petitionem *l.*68. *ff. de jud. l.*4. *§. hoc judicium ff. de dam. infect.* nam ſimulatque aliquis citatus eſt, non poteſt deinde mutare forum tanquam præventus, *d l.*7. *ff. de jud.* Zaſ. *in l.*19. *de jurisdictione, n.*15. Marant. *diſp.*6. *n.* 20. Et ut præventa dicatur jurisdictio, tam ratione judicis, quam partis, neceſſe eſt quod ſit legitima, nam per citationem nullam aut illegitimam non perpetuatur Jurisdictio, *c. gratum* 20. *X. de offic. deleg. c. bonæ, X. de Elect.* Legitimè autem citatus à Judice ex ſententia Mynſing. *cent.* 4. *obſ.*26. & Gail. 1. *obſ.* 11. *n.* 1. & *obſ.* *Forma.*

*obſ.*74. *n.*18. videtur ubi ſequentia concurrunt. Primo ut citatio legitimo modo confecta à judice competente emanaverit: Deinde ut ad citatum pervenerit, aut per citatum ſteterit quo minus inſinuata fuerit. Tertio ut citatus ex citatione plene animadvertere potuerit de qua re futura ſit controverſia, & quarto ut hæc à judice legitimè citato inſinuata fuerit.

XX.

Hinc Doctores quærunt, qualis iſta citatio eſſe debeat, an requiratur peremptoria, per tria Edicta diſtincta, vel ſufficiat prima ſine peremptorio? quod poſtremum affirmandum putamus, *cum gl. in cl. unic. in verbo citationes de jud. & § ult. I. de pœna tem. litig.* Obrecht. *lib.* 3. *de Iurisd. c.* 14. *n.* 17. quia tantum requiritur vocatio in jus. Eſt & hæc inter Doctores controverſa quæſtio, utrum per libelli oblationem dicatur præventa juriſdictio? Quod cum Bald. *in l.7. ff. de jud.* negamus, niſi accedat citatio, cum enim præventio ſeu præoccupatio fiat per ſolam citationem, *c. propoſuiſti de foro comp.* Gail. 1. *obſ.* 29. *n.* 5. & 1. *obſ.* 11. *n.* 1. & libelli porrectio non habeat vim citationis, *l.* 15. *ff. de in jus voc.* ideo nec per libelli oblationem præventio fieri poterit, quia in eo, qui porrigit libellum, eſt quidem voluntas præveniendi, nondum tamen realis præventio, Bald. *in l.* 1. *C. quando libell. princ.*

XXI.

Quid autem ſtatuendum ſit, quando quis citatur, coram duobus judicibus pro eodem negotio, & non appareat, quæ citatio prior fuerit, quia fortè utraque fuit facta ad domum, vel eodem tempore uterque citans perſonam apprehenderit, non adeo expeditum eſt?

Diſtin-

Diſtinguendum igitur hoc caſu cum DD. âut unus judicum eſt altero maior, & tum minor maiori deferre debet, *arg. l.2. §. fin. ſi quis caut.* Maior enim facit ceſſare minorem ubi concurrunt, quia lumen maius obfuſcat minus, Card. Tuſch. *pract. concluſ. tom.5. lit. M. concluſ.*16. v. Barboſ. *in voc Maior. n.5.* aut uterque Judex eſt æqualis & eiusdem poteſtatis, ita ut nulla appareat differentia, & tum in poteſtate rei eſſe videtur, coram quo comparere velit, propter regulam generalem, quod Actor ſequatur Reum *l.2. C. de Iurisd.* & Reus litem jam non fugiat, ſed coram altero reſpondere paratus ſit.

XXII.

Finis præventionis cum effectu ferè coincidit, ſpectatur tamen maxime in ſequentibus: primo, ut Judici, qui competens eſt, non tantum ſua autoritas & Jurisdictio non annulletur aut debilitetur, quod ſanè nunquam fieret, ſi Reo non obſtante præventione forum judicis prævenientis liceret declinare, & ita perſonam judicis, quaſi ſuſpectam reddere, *arg. l.4. C. de Iurisd.* Sed & quod cum effectu in cauſa præventa procedere, inter partes jurisdictionem conſolidare & contra reliquos ante præventionem competentes Judices, omnibus modis ſuam jurisdictionem defendere poſſit, *l.2. ff. de Iurisd. l. ult. de offic. eius cui mand. c. cum plures de offic. deleg.* Deinde ne propter unam eandemque cauſam à duobus Judicibus aliquis vexetur, & pro lubitu ab uno judicio ad aliud trahatur, maxima Actoris moleſtia, qui non tantum immodicis ſumptibus premitur, ſed & ex una lite multas facere cogitur, quod ſane periculoſum, maximè ſi diverſa pronunciarentur, *l. ff. de Except. rei jud.* *Finis.*

XXIII.

Ad finem præventionis quoque ſpectat utilitas publica, intereſt enim Reipublicæ, ne lites, quæ apud unum judicem commodius una actione tractari poſſunt, apud diverſos judices, diverſis inſtitutis actionibus malitioſe proponantur: quia lites, quæ varia in Republica mala pariunt, hoc modo abbreviantur & tolluntur, non ſine magno ſubditorum & Reipublicæ commodo *l.* 13. *C. de jud.* quia denique hac ratione præcavetur, ne judicia ſuperfluis & inutilibus litibus onerentur, & conſequenter Judex cæteris litigantibus commodius & citius juſtitiam adminiſtrare poteſt, haud exiguo Reipublicæ fructu, *l.* 1. §. *præterea. ff. de quibus rebus ad eund. jud. eat.*

XXIV.

Effectum. *Effectus* præventionis ſunt duplices, alii reſultant reſpectu Judicis prævenientis, alii reſpectu Rei & Actoris; *Reſpectu judicis prævenientis* eſt, quod propter ipſam præventionem acquirit, ſeu conſolidat Juriſdictionem inter perſonas prædictas, in cauſa intentata, *d. c. propoſuiſti, de for. comp. l.* 7. *ff. de jud.* Ratio huius eſt, quia cum Reus ad citationem Actoris in judicio comparuit, tacitè cum Actore & perſona Judicis ſic contraxiſſe intelligitur, *l.* 3. §. *idem ſcribit. ff. de pecul.* ut cauſa controverſa apud eum finiatur judicem, quem ab initio litis communi conſenſu approbaverint, & propterea cum hoc caſu, quo reus in judicio comparuit, cauſa amplius integra non ſit, *arg l.* 6. *ff. de juriſd.* non immerito cauſa in eo judicio deciditur, coram quo lis ab initio introducta fuit, *l.* 32. *ff. de jud.*

XXV.

XXV.

Effectus reſpectu *Iudicis præventi* ſunt, ut ille Judex, qui aliàs habebat Jurisdictionem, & ipſius exercitium in cauſa controverſa cognoſcere non poſſit, *d. c. propoſuiſti, de for. comp.* Si igitur nihilominus procederet, & Reum de facto ad ſuam Tribunal vocaret, ut Actori in judicio reſpondeat, Advocatus vel Procurator cautus eſſe debet in forma excipiendi, ſcilicet ut non excipiat de incompetentia Judicis, cum ſit competens, vel opponat privilegium fori, petens ſe remitti ad primum judicem, cum non habeat privilegium fori, nam ita excipiens ſuccumberet, *per l. 1. §. Labeo. ff. de de fluminibus & Cl. fin. de appellat.* Gail. 1. *obſ.* 29. *n.* 5. ſed debet excipere, quod eius iurisdictio eſt præventa, per cognitionem alterius Judicis *l. 7. ff. de jud.* ſi nihil operetur hæc exceptio, Judex qui eum in Jurisdictione prævenit, omnibus legitimis remediis iurisdictionem ſuam defendat, vid. Obrecht. *de Iurisd. lib.* 3. *c.* 14. *n.* 25. *cum alleg.*

XXVI.

Inprimis autem hic obſervandum eſt, quod ſi ille contra quem proceditur à duobus iudicibus non comparet, omnium ſuſtentatur iudicium, ac locum habet *lex ubi cœptum ff. de judiciis.* ratio eſt in citati contumacia, quod contra huius vel illius proceſſum nihil excepit, *arg. l. 5. ff. de jud.* Si vero comparet, nihil tamen de facta præventione excipit, proceſſus ſecundi & primi valerent: cum parti, quæ hoc non appoſuit, imputandum eſſet, quia ſi hoc diſplicebat, opponere debebat, & quidem ab initio cum ſit dilatoria: alias non impediret, Vant. *de nullit. proceſſ. tit.* 9. *n.* 163. & Gail. 1. *obſ.* 29. *num.* 6.

XXVII.

XXVII.

Reſpectu Rei & Actoris præcipui *Effectus* ſunt, ut in cauſa præventa & controverſa, non poſſint amplius mutare forum, ſed ubi lis cœpta, permanere cogantur, *l.30.ff.de jud. adde hic ea, quæ diximus ſupra th.14.& ſeqq.* deinde quod contra abſentes, Judex præveniens procedere, ſententiam ferre & exequi poſſit. Executio autem debet fieri in bonis in ſuo territorio inventis, quod ſi pars condemnata non haberet bona ſub jurisdictione huius Judicis, ſed in alio territorio, ut ſunt bona noſtra aliquando in diverſis territoriis ſita, tunc Judex qui tulit ſententiam per literas mutui compaſſus petit à Judice in cuius territorio bona noſtra ſita ſunt, ut exequatur ſententiam, *per tex. in l.12. §.1.ff. de rebus autor. jud. poſſ. v. hic late* Socin. *in ſæpius d.c. propoſuiſti, artic.5.n.27.* Gail.1.*obſ.29.n.5.* Zaſ.*vol.1.ad l.19.ff.de jurisd.n.29.*

XXIIX.

Cõtraria. Recto ordine nunc ſequuntur *diſſentanea ſive contraria*: Cum autem præventioni nihil magis contrarium ſit, quam incompetentia, quia ubi Iudex incompetens eſt, non tantum præventioni nullus locus, ſed & omne deficit judicium, v. Barboſ. *in voc. Iudex. n.13.* illaque ut & alia, ipſi cauſarum & effectuum tractationi paſſim inſerta, ne bis idem agamus & lectorem fatigemus, cum brevitatis cauſa eò remittimus.

XXIX.

Affinia Affinia præventioni ſunt (1) Lis cœpta, ubi autem lis cœpta eſt, ibi ad finem usquè litis reus reſpondere tenetur, *l.30.ff. de Iudiciis*, differt autem litis pendentia à præventione maximè ſequentibus: Lis dicitur cœpta, ubi ab initio litis tantum unus erat Iudex compe-

competens,coram quo Actor Reum convenire potuit: at ex poſt facto duo ipſi Reo ſunt facti judices competentes, vel ob mutatum domicilium, vel impetratum ſpeciale privilegium exemptionis fori à Principe, hinc Reus duo fora habere incipit, forum ſc. mutati domicilii, & forum privilegii, aut novi conſtituti domicilii. Præventio autem fit ubi ſtatim abinitio Reus plures habet Iudices competentes, ſed unus alterum prævenit, in caſu autem litis pendentiæ poſterior Iudex præventus dici nequit, quia tempore litis motæ jurisdictio ei non competiit.

XXX.

Secundo Continentia cauſæ, nam & ob hanc præventa quaſi videtur, Iurisdictio Iudicum competentium: propriè autem dicitur, quando ab initio quidem in cauſa controverſa plures ſunt Iudices, at propter cauſæ continentiam Actor horum omnium jurisdictionem, & forum declinare, reumque coram omnium Iudicum ſuperiore, in jus vocare poteſt; differt igitur à præventione, quod in ea non ſuperior Iudex neceſſariò adeundus, ſed liberum eſt actori, penes quem ex competentibus actionem velit inſtituere, adde Obrecht. *de Iurisd. lib.* 3. *c.* 14. *n.* 7.

XXXI.

Tertio Reconventio, quia per illam Iudex Actoris ordinarius, quaſi prævenitur. dicitur autem reconventio, quando Reus in eodem judicio ante litem conteſtatam aduerſus actorem aliam proponit actionem; & differt à præventione, quod quamvis unum ſaltem Actor habeat Judicem competentem, quem, ſi Reus Actorem convenire vellet, adire cogeretur, tamen pro-

C pter

pter factam conventionem Actor in eodem Judicio reſpondere tenetur, *l.1. C.de offic. Rector. prov. l.13. C. de Rei vind. l.10. C. de Iud.* ne lites, quæ apud unum judicem commodius una actione tractari poſſunt, apud diverſos judices, diverſis inſtitutis actionibus malitioſe proponantur, cum in præventione, nulla prius inſtituta actione opus ſit, & ſemper plures judices ab initio requirantur, Obrecht. *d. loco, n.* 8. & hæc pro ratione inſtituti ſufficiant.

DEO ſit Laus, Honor & Gloria, in ſempiterna ſecula.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO E.